

Timon

Comoedia imitata ex dialogo Luciani qui Timon inscribitur

Ad R. P. Petrum Lovanienem societ. Jesu

Actus quos nuper Phoebo procul atque Thalia
Ludere collibuit, iam tibi sisto, pater.
Accipe, cumque vacas, nugis impende legendis
Otiolum quamvis exiguum, sat erit.
Hirsutus, fateor, nec fausto sidere natus, 5
Luminis hic faetus in loca dia venit:
Sed dabis, haud dubito, veniam, pater optime, primus
Ingenii partus cum siet iste mei,
Tempore cumque brevi conceptus et editus, oras 10
Viserit aerias. Post meliora dabo.
Sique Thalia mihi, si dexter Apollo, chorusque
Pimplei collis faverit Aonidum;
Lazarus efficiam stygiis existat ab undis
Caecus et ut videat lumina, Phoebe, tua.
Timonem interea nostram cape, Petre, tuaque 15
Lima perpolias iudicioque probes;
Ut quod ab ingenio sperare nequivit herili
Istuc, Petre, tuo debeat ingenio.
Vive valeque, pater, si me vis vivere sanum,
Actus hosque mei pignus amoris habe. 20

Prologus

Salvete, spectatores ornatissimi.
Salvete, nobiles. Salvete ignobiles.
Salvete, docti, salvete, indocti quoque.
Conductum linguas vestras, aures et oculos,
Iussu choragi primus in proscenium 5
Hoc egi me, aures ut iam auscultent, at oculos,
Ut spectent, linguas, ut taceant. Nam fabulam
Novam, theatri expertem statuimus hodie
Dare vobis, cui Timoni nomen fecimus.
Cuius dum paucis argumentum edissero, 10
Facite patescant aures animique vigilant.
Athenaeorum praestans quondam civitas
Opibus et artibus aluit ditissimum
Civem, vocabulo Timonem, Echekratide
Colyttaeo cretum, cuius domus fores 15
Dies noctesque patebant ganeonibus,
Parasitis, helluonibus atque subdolis
Amicis, laeta cum quibus convivia

Agitare solebat, et genialem vivere
 Vitam, deliciis perpetim summis vacans, 20
 Donaue magna laetitia effectoibus
 (Quod genus auloedi, citharoedi, tibicines
 Parasiti, palpones, pruritus aurium
 Ministri) donans, ac si gazae neutique
 Exhauriri possent. Sed quid fit? Cum modum 25
 Profusioni non statueret prodigus,
 Plutus abit et mox qui ditissimus antea
 Fuerat, incedit passim nunc pauperrimus.
 Amici, quem coluerant divitem, velut
 Deum quendam terrestrem, hunc nosse pauperem 30
 Se pernegant. Parasitis risus et iocos
 Dat, qui lautissimas cenas saepe dederat.
 Cum Timon igitur esset inter malleum
 Incudemque,¹ neque quid ageret decernere
 Posset, Paupertas gnato circumdata suo 35
 Adventat, victusque modum quaerendi docet;
 Ligone, rastris et securi traditis
 Timoni, quo conductus verteret solum
 Agrorumque rubos sedulo rescinderet.
 Obtemperat Timon, conductus agros colit, 40
 Colendoque Iovis opporationibus
 Miserrimis perpetuo Regiam quatit.
 Audit convitiantem potius quam preces
 Fundentem Iuppiter, et per Maiae filium
 Accersit Plutum, quem quantocyus iubet 45
 Poli delapsus vertice, facere divitem
 Denuo Timona pristinasque reddere
 Divitias; Plutus obedit, quamvis non lubens,
 Tonantis iussui, cumque Deum nuntio
 Mox Atthidos pervenit ad cultissima 50
 Loca, Timonemque reperit glebas gnaviter
 Vertentem, Paupertate vallatum gravi.
 Quae simul ac vidit Plutum ad Timona regredi
 Indoluit, graviter cum Mercurio expostulans,
 Sed audito Iovis mandato destitit 55
 Possessioneque cessit; ut porro Deos
 Venientes Timon vidit, prorsus effero
 Repulit animo dirissima minitans eis.
 Sed tandem mitigatus verbis lenibus
 Mercurii, lenitati dat sese quoque. 60
 Thesaurumque sibi caeli missum ab arcibus
 Effodit, effossumque super astra laudibus
 Extollit, Paupertati mittit nuntium.
 Leges, quas servet, condit illico sibi,

¹ Erasm. *adag.* «*Inter malleum et incudem*», ASD 2.1, n° 16, p. 129-130.

Misanthropus fit, hominum consuetudinem 65
 Cane peius et angue odit, vitat,² fugit, lupis
 Amicam vivit vitam; fucatos fugat
 Et procul abs se repellit amicos, fustibus,
 Glebis et saxis et ligonibus rem agens.
 Parasitos etiam subodoratos nummulos 70
 Eodem tractat pacto, aurumque sedulo
 Et cura vigili custodit missum sibi.
 Haec fabulae perioche, haec comprehensio
 Synopsisque brevis quae sunt futura omnium.
 Abeo, valete, pensum persolvi meum. 75

Actus primi scena sexta.

Plutus, Desidia, Ocium, comites Pluti.

Plut. Ne quis miretur, qui sim paucis eloquar.
 Plutus sum divitiarum munificus Deus.
 Huc prodeo Timonis pulsus aedibus.
 Superas unde prius veni sedes denuo
 Cum comitibus repeto, et relinquo prodigum 5
 Timonem, qui me tam atrocibus iniuriis
 Affecit, qui parasitis, ganeonibus
 Et helluonibus, faeci mortalium,
 Misere lacerandum me exposuit; anne paterer,
 Unus cum caelitum sim miserum homunculum 10
 Inferre mihi tot plagas ac iniurias?
 Non patiar, non feram. Nullo modo sinam
 Stultissimis mortalibus ludibrio
 Ut immortales sint. Abibo ad aetherem.
 Feci ditissimum Timonem, plurima 15
 Auri talenta dedi. Quid profeci tamen?
 Aquas in pertusum congressi dolium,
 In ignem lanam traxi. Vas fundo carens
 Replere volui. Pridie quidquid dedi,
 Popinonibus hoc distribuit postridie. 20
 Dii perduint scelestos istos, qui Deum
 Sic vilipendunt munera; sapiet scio
 Timon. Sed sapiet cum Phrygibus,³ et vulnere
 Percussus insanabili. Me noluit
 Measque comites, habeat nunc penuriam 25
 Durumque laborem. Panem rodat mucidum,
 Qui temperate vescier perdicibus
 Non potuit. Sed ne me miremini
 Tam celerem, nosse vos velim solummodo

² Cf. e.g. Hor. *ep.* 1,17,30-31: [...] *cane peius et angui / vitat* [...]. Erasm. *adag.* «*Odit cane peius et angue*», ASD 2.4, n° 1863, p. 254.

³ Erasm. *adag.* «*Sero sapiunt Phryges*», ASD 2.1, n° 28, p. 141-142.

Me claudicare quando venio ad quempiam 30
 Sed quando abeundum, tunc perniciosior Notho
 Euroque sum; quin celeritate celerior.
 Tunc non caecutio, bene novi abitus viam.
 Reditus non itidem. Paulo post scabet caput
 Unguesque rodet Timon, sed rodat, scabat, 35
 Inanem sumet operam, non me detrahet
 Rodendo scabendoque celsis sedibus poli.

Actus secundi, scena prima

Timon, Gnatonides, Gastrophilus, Gemoenus parasiti

Tim. O varias, o mutabiles Pluti vices!
 O spes fallaces o fortunam Protheo
 Incertiolem. Croesus qui nuper fui,
 Irus Fortunae factus technis et dolis
 Huc prodeo, quique talenta Pelopis habui, 5
 Opesque grandes Cynarae, divitias Midae,
 Pactoli arenas, Codro sum pauperior, et
 Cui fluebat Hermus,⁴ Ganges et Tagus,
 Hic premitur nunc rerum omnium penuria.
 O varias, o mutabiles Pluti vices. 10
 Qui vestimentis induebar sericis,
 Nunc squalidis et sordidis convestior.
 Qui cenas apparare lautas sueveram
 Amicis falsis, nunc parum abest precario
 Quin debeam conquirere unde victitem. 15
 Falerna qui bibebam necnon Gnoissia
 Nunc latice puro, Naiados beneficio
 Sitim depello. Heu, rerum quanta novatio!
 Quanta immutatio! Timon, Timon, tuo
 Si praecepisses animo quae iam conspicias 20
 Facta esse, fieri posse, nunc moderatius
 Fortunae tela ferres. Nam verbum vetus,
 Iacula praevisa ferire minus,⁵ verissimum est.
 O varias, o mutabiles Pluti vices.
 Heu, Timon, Timon, ut tibi dissimilis es! 25
 Vix me agnosco cum memoria redeo mea
 Et cogito quis fuerim, cumque quis modo siem
 Intueor. **Gast.** Quisnam tot lamentis aethera
 Non procul hinc pulsat? Quis et ex imo pectore
 Questus tam miseros fundit? **Gem.** Timon est. **Gnat.** Dii 30
 Boni, quam turpe monstrum? **Gast.** Detestabile.

⁴ Hermus *Fielitz* : Hebrus *cod.*

⁵ Caesarius Heisterbacensis, *Dialogus miraculorum distinctio* 5,2; Dionysius Carthusianus, *Enarratio in librum Iob*, articulus 4; *Enarratio in librum Sapientiae*, articulus 17, et aliis locis; vide collectionem datorum interretialem, quae vocatur *Library of Latin Texts* (Brepolis) et quaere *iacula praevisa*.

Gem. Fugiendum. **Gnat.** Execrandum. **Gast.** Vide ut squallet situ!
Gem. Ut marcet facies? **Gnat.** Larvam vere dixeris.
Gast. Ut pallent ora. **Gem.** Statuam vere dixeris.
Gnat. Phi! Deflectamus ab itinere, haud etenim reor 35
Esse auspicatum tam invisum monstrum alloqui.
Tim. Ut vos, si superi nolunt, perdant inferi,
Palpones improbissimi, nequissimi.
Fuci, vulturii, tineae, praedones, lupi.
Ad corvos ite,⁶ corvi, par gaudet pari.⁷ 40
Nunc me tamquam flagitium detestamini
Et tamquam pestem fugitis, cum quod largiar
Non suppetit amplius. Cum casu decidi
Ex alto culmine gravi. Dii vos perduant.
Et in profundum ad Titanas vos Tartarum 45
Detrudant improbissimi mortalium.
Qui dum crumena nummis turget aureis,
Dum variis dapibus onerantur mensae, merum
Dum promitur large ex abundanti penu,
Adestis, observatis, assectamini, 50
Cuiuslibetque e nutu pendetis homuli
At simul ac placidae ac facilis fortunae ingruit
Vicissitudo, ceditis ocyus Notho.
Dii vos Deaque, scelesti, perdant comprecor.

⁶ Erasm. *adag.* «*ad corvos*» (ASD 2.3, n° 1096, p. 120-122): Βάλλ' ἐς κόρακας, *id est Abi ad corvos, perinde valet, quasi dicas abi in malam rem atque in exitium.* Aristophanes ἐν Νεφέλαις [Aristophanes, *Nubes*, 133]: Βάλλ' ἐς κόρακας: τίς ἐσθ' ὁ κόψας τὴν θύραν; *id est Apage ad corvos. Quis est, qui pepulit hostium?*

⁷ pari *Fielitz* : pare *cod.* Cf. Erasm. *adag.* «*simile gaudet simili*» (ASD 2.1, n° 121, p. 240).